TIT. VIII.

SI NUPTIÆ EX [1] RESCRIPTO PETANTUR [2].

1. Impp. HONOR. & THEOD. AA. Theodoro P. P.

QUidam [3] vetuſti juris ordine prætermiſſo, obreptione [4] precum [5] nuptias quas ſe intelligunt non mereri, a nobis exiſtimant poſtulandas, ſæpe habere [puellæ] conſenſum confingentes: Quapropter tale ſponſalium genus præſentis legis definitione prohibemus. Si quis igitur contra hanc definitionem nuptias precum ſubreptione [6] meruerit: amiſſionem bonorum, & pœnam deportationis ſubiturum ſe eſſe non ambigat, & amiſſo jure matrimonii, quod prohibita uſurpatione meruerit, filios ſe ex hac conjunctione ſuſceptos, juſtos non habiturum, nec unquam poſtulatæ indulgentiæ annotationisve indulto efficacem ſe veniæ effectum meruiſſe: exceptis his qui parentum [7] ſponſionem de nuptiis filiarum implere deſiderant, vel ſponſalia [8], hoc eſt arrharum data nomine, reddi ſibi præcepto legum cum ſtatuta pœna depoſcunt. Dat. Kal. Febr. HONOR. VIII. & THEOD. III. AA. CONSS. 409.

2. Imp. ZENO A. Baſilio P. P.

NEfandiſſimum ſcelus fratris ſororisve filiæ [9] nuptiarum, quod ſacratiſſimis conſtitutionibus ſub graviſſimæ pœnæ interminatione damnatum eſt, iterato præſentis divinæ ſanctionis tenore modis omnibus prohibemus. Precandi quoque in poſterum ſuper tali conjugio (imo potius contagio) cunctis licentiam denegamus: ut unusquisque cognoſcat impetrationem quoque rei cujus eſt denegata petitio, nec ſi per ſubreptionem [10] poſt hanc diem obtinuerit, ſibimet profuturam.

TIT. IX.

DE [11] SECUNDIS [12] NUPTIIS [13].

Pœna nubentis intra tempus luctus.

1. Imppp. GRATIANUS, VALENTINIANUS, & THEODOSIUS AAA. Eutropio P. P.

SI [14] qua mulier nequaquam luctus [15] religionem priori viro nuptiarum feſtinatione præſtiterit: ex jure quidem notiſſimo ſit [16] infamis [17]: præterea [18] ſecundo viro ultra tertiam partem bonorum in dotem non det, neque ei ex [19] teſtamento plus quam tertiam partem relinquat. Omnium præterea [20] hereditatum, legatorum, fideicommiſſorum, ſuprema voluntate relictorum, mortis cauſa donationum ſit expers: hæc namque omnia ab heredibus, vel coheredibus aut ab inteſtato ſuccedentibus vindicari jubemus: ne [21] in his in quibus correctionem morum induximus, fiſci videamur habere rationem. His etiam [22] amittendis, quæ prior maritus ei ſuprema voluntate reliquerit: quanquam hæc quæ mulieri a priori viro relinquuntur, & per immaturum [23] matrimonium vacuata eſſe cœperunt, primo a decem perſonis Edicto Prætoris enumeratis (id eſt, aſcendentibus, & deſcendentibus, ex latere autem usque ad ſecundum gradum, ſcilicet gradibus [24] ſervatis) deinde [25] præſumi a fiſco jubemus. Eandem quoque mulierem infamem redditam hereditates ab inteſtato [26] vel legitimas, vel honorarias, non ultra tertium gradum ſinimus vindicare. P. P. 15. Kal. Jan. GRATIANO V. & THEOD. AA. CONSS. 380.

In AUTHENT. de nupt. §. ſi autem tutelam. coll. 4. tit. 1. Nov. 22. cap. 40. & 2. pars hujus Authent. habetur collat. 4. tit. 18. al. tit. 16. de reſtit. & ea quæ parit undecimo menſe. §. fin. Novell. 39. c. 2.

EIsdem pœnis ſubjicitur etiam ea, quæ [27] parit intra [28] luctus tempus, ſi modo indubitatum ſit ſobolem hanc defuncto non [29] exiſtere: nam & uſufructu antenuptialis donationis privatur. Item [30] & ea quæ ſi ſuſcepta liberorum tutela, contra ſacramentum, ſecundo nubit, non prius tutorem petens, & rationem reddens, & exolvens omne quicquid debet. Sed hodie [31], ulteriore jure ſacramentum ab ea non exigitur, ſed contractis nuptiis a tutela repellitur.

2. Iidem AAA. Eutropio P. P.

SI [32] qua ex fœminis perdito marito, intra anni ſpatium alteri feſtinaverit nubere (parvum enim tempus [33] poſt decem [34] menſes [35] ſervandum adjicimus: tametſi id ipſum exiguum putemus) probroſis [36] inuſta notis honeſtioris nobilisque perſonæ decore, & jure privetur: atque omnia, quæ de prioris mariti bonis, vel jure ſponſalium [37], vel judicio defuncti conjugis conſecuta fuerat, amittat. Dat. 3. Kal. Jun. *Conſtantinop.* EUCHERIO & SYAGRIO CONSS. 381.

De his, quæ reſervanda ſunt liberis primi matrimonii, & de ſucceſſione in bonis eorum, & quibus modis tranſeuntes ad ſecundas nuptias coërcentur.

3. Iidem AAA. Floro P. P.

FOeminæ [38], quæ ſuſceptis ex priore matrimonio filiis, ad ſecundas [poſt tempus luctui ſtatutum] tranſierint nuptias, quicquid ex facultatibus priorum maritorum ſponſalium jure, quicquid etiam nuptiarum ſolennitate perceperint, aut quicquid mortis cauſa donationibus factis, aut teſtamento jure directo, aut fideicommiſſi, vel legati titulo, vel cujuslibet munificæ liberalitatis præmio ex bonis ([ut dictum eſt]) priorum maritorum [39] fuerint adſecutæ: id totum ita ut perceperint, integrum ad filios quos [40] ex præcedente conjugio habuerint, tranſmittant, vel ad quemlibet ex filiis (dummodo ex his tantum [ſit] quos tali ſucceſſione digniſſimos judicamus) in quem contemplatione meritorum liberalitatis ſuæ judicium mater crediderit [41] dirigendum. Nec quicquam eædem fœminæ ex iisdem facultatibus alienandum in quamlibet extraneam perſonam, vel ſucceſſionem ex alterius matrimonii conjunctione ſuſceptam, præſumant: atque habeant poteſtatem poſſidendi tantum [atque fruendi] in diem vitæ, non etiam alienandi [42] facultate conceſſa. Nam ſi quid ex iisdem rebus in alium quemlibet fuerit ab ea tranſlatum: ex maternis redintegrabitur facultatibus, quo illibata ad eos quos ſtatuimus liberos bona, & incorrupta perveniant. §. 1. Illud etiam addimus [huic] legi, ut ſi aliquis ex iisdem filiis quos ex priori matrimonio ſuſceptos eſſe conſtabit, forte deceſſerit matre jam ſecundis nuptiis funeſtata [43], aliis etiam ex eodem matrimonio progenitis liberis ſuperſtitibus, id quod per eandem ſucceſſionem ab inteſtato, vel ex teſtamento ſuæ poſteritatis mater videbitur conſecuta, in diem vitæ ſuæ pro ſibi debita portione ſola [44] tantum poſſeſſione delata, omne his qui ſupererunt, ex priore ſuſceptis matrimonio filiis relinquat: nec ſuper iſtiusmodi facultatibus teſtandi in quamlibet extraneam perſonam, vel quicquam alienandi habeat poteſtatem. † Quod ſi nullam ex priore matrimonio habuerit ſucceſſionem [45], vel natus native deceſſerint: omne quod quoquo modo perceperit, pleno proprietatis jure obtineat, atque in his nanciſcendi [46] dominii, & teſtandi circa quem voluerit, liberam habeat facultatem. Dat. 6. Kalend. Jun. *Conſtantinop.* ANTONIO & SYAGRIO CONSS. 382.

In AUTHENT. de nupt. §. ſi vero expectet. coll. 4. tit. 1. Novell. 22. cap. 23.

IN donatione propter nuptias, etiamſi alius pro viro dederit, deſerit eam proprietas.

In AUTHENT. col. conſtitut. & §. quibus ſupra. verſic. venient autem talia. Novell. ead. cap. 25.

1 *L.* 3. *C. Th.* 10. 28. *Eclog.* 5. *c.* 40. 2 Seu reconcilientur: quod Græcis eſt πραγματεύεσθαι. *Synopſ. Baſil.* 28. *tit.* 5. *c.* 40. 4. Harmenopul. 4. §. 71. 3 *l. unic. C. Th. h. t.* Nuptias ſibi concilians Principis reſcripto proſcribitur, liberi ex ea conjunctione nati liberi non ſunt, etiamſi precibus, συγχώρησιν, id eſt, ut id ſibi indulgeretur, obtinuerit. *d. c.* 40. *& d.* §. 17. 4 Non valet reſcriptum obreptitium, vel illicite impetratum. *l. ult.* 𝔍. *h. t. l. ult.* 𝔖. *de diverſ. reſcript.* adde *l.* 29. *ff. ad leg. Corn. de falſ.* 5 *l. ult.* 𝔖. *de inceſt. & inutil. nupt.* 6 Subreptionem hic vocat, quam ſuperius, obreptionem: confunduntur tamen ſæpe illa duo inter ſe. vide *l.* 29. *ff. ad leg. Corn. de falſis.* 7 *l.* 6. *in fin.* 𝔖. *de interdict. matr.* 8 *l. unic.* 𝔖. *ſi rector provinc. vel ad eum pertin.* 9 Dixi ad *l.* 17. 𝔖. *de nupt. l. ultim.* 𝔖. *de inceſt. & inutil. l.* 39. *ff. de ritu nupt.* §. 3. *Inſt. de nupt.* 10 Vide *l.* 1. *ſupr. h. t.*

11 *L.* 3. *C. Theod.* 3. *&* 28. *Eclog.* 12. *cap.* περὶ τῶν δευτερογαμούντων &c. adde 4. Harmenop. 7. de pœnis ſecundarum nuptiarum, vide *Nov.* 22. *cap.* 20. 23. *& ſeq.* Gail. 2. *obſerv.* 98. Wurmſ. 1. *pract.* 36. *cap.* 5. *c.* 9. de tertiis & quartis, vide *Novell. Leon.* 90. *Conſtantini Porphyrogenneta cap.* 1. *& quæ ibid. dixi.* His illud Hieronymi *ad Pammachium* conjungatur, *Non damno*, inquit, *bigamos, imo nec trigamos, & ſi dici poteſt octigamos, Idem ego* (inquit) *nunc voce proclamo libera, non damnari in eccleſia bigamiam, imo nec trigamiam, & ita licere quinto & ſeptimo & ultra.* Hæc ille, adde 31. *q.* 1. *can. aperiant.* 11. Gratian. 27. *q.* 2. *can. additur.* 13. vide *l.* 4. 𝔍. *de bon. quæ lib.* quod eo magis eſt notandum, quod nonnulli ſint, qui ſecundas nuptias honeſtam fornicationem appellent. 31. *quæſt.* 1. *can. hac ratione.* 9. unde Tertullianus *libr. de Monogamia.* Unum matrimonium novimus ſicut unum Deum. ſed & quidam (falſo tamen) putant legatum relictum uxori, ſi honeſte nupſerit, ei non deberi, ſi ſecundo, vel tertio nupſerit, quemadmodum & illi decipiuntur, qui legatum mulieribus elocandis relictum, ad viduarum elocationem pertinere negant. Nam ut recte Phanutius de Phanutio in *commentar. de lucro dotis, Gloſſ.* 6. poſt Decium, Nevizanum, Angelum, Caſtrenſem & Raynerium, ſcribit, pœnæ contra ſecundo nubentes ſunt hodie correctæ ex Apoſtoli autoritate, teſtantis, Conjugium honorabile eſſe inter omnes, ubi inter cætera notat Romæ habitum honorem fuiſſe mulieri, quæ viginti duos viros: & marito, qui viginti mulieres extuliſſet. Hieronym. 3. *epiſt.* 26. Boër. *deciſ.* 186. adde Hieronym. *in can. additur.* 13. *cauſ.* 27. *qu.* 2. adde *l.* 4. 𝔍. *de bon. quæ lib.* 12 Secundæ dicuntur, quæ poſt priores ſive proprie ſecundæ ſint, ſive tertiæ, ſive quartæ: ſecundum dici poteſt; quod primum ſequitur quoquo modo, immediate vel mediate; denique quod iteratum. vide Roland. a Valle 1. *conſ.* 72. *num.* 20. *& ſeqq.* 13 Huc ſpectant Pulvæi *libri duo de mulierum luctu, & de ſecundis nuptiis; & tomi duo repetitionum & conſiliorum in materia connubiorum, collecti* a Joanne Nicolai, item quæ ſcripſit Coraſius *lib.* 3. *miſcell. c.* 1. Mod. 14 Eadem verba extant in *l.* 4. 𝔍. *ad SC. Tertull.* 15 Dixi ad *l.* 15. 𝔖. *ex quibus cauſ. infam.* adde 4. Harmenopul. 6. *c.* περὶ μοιχείας. ubi inter cætera explicatur, quid ſit τὸ πένθος & πένθιμον χρόνος. adde *Novellam* 22. *cap.* 40. 16 Prima pœna mulieris nubentis intra tempus luctus. 17 *d. l.* 15. *d. l.* 4. adde *l.* 2. 𝔍. *h. t. l.* 1. *in fin. l.* 8. *& ſeq. ff. de his, qui not.* niſi impetraverit jus nubendi a Principe. *l.* 10. *ff. de his, qui not.* 18 Secunda pœna. 19 Hinc conſtat infames teſtamentum facere poſſe. 20 Tertia pœna. 21 Vide *l.* 1. §. 14. 𝔍. *de caduc. tollend.* 22 Quarta pœna. 23 Immaturum, ἄωρον. *Novell.* 2. *c.* 4. Plin. 4. *epiſt.* Nuptias quorum alterum immaturum, alterum ſerum eſt. 24 Quoties lex defert jus diverſis gradibus intelligit ſecundum ordinem graduum. 25 Fiſcus eſt poſt omnes. vide *Novell.* 1. §. 1. *verſ. inordinatum. l.* 4. 𝔍. *de bonis vacant.* 26 Quinta pœna. 27 Baldus idem dicendum putat de ea, quæ intra annum luctus cum aliquo rem habuit. 28 De ea, quæ parit undecimo menſe, dixi ad *Nov.* 39. *c.* 2. 29 Negativa filiationis probatur tempore. *l.* 29. *ff. de liber. & poſthum.* 30 Hoc deſumptum eſt ex *Nov.* 22. *c.* 40. 31 *Nov.* 94. *c.* 2. 32 *l.* 1. *C. Theod. h. t.* 33 Duorum ſcil. menſium, & ita duo menſes parvum tempus. *l.* 19. 𝔍. *de legat.* 34 Lugendi legitimum tempus annus quidem fuit, & tamen decem menſes, idque ad Theodoſii usque tempora. Ovid. 1. *Faſtor.* Romulus *anno conſtituit menſes quinque bis eſſe ſuo: & per totidem menſes a funere conjugis uxor Suſtinet in vidua triſtia ſigna domo.* Numa quidem auxit annum duobus menſibus, at non annum luctus totidem auxit. Ita decem tantum menſibus matronæ Brutum luxere. Liv. 2. Plin. *de viris illuſtribus*, Senec. 8. *epiſt.* Annum fœminis ad lugendum conſtituere majores. Idem *lib. de conſolatione. Majores decem menſium ſpatium lugentibus viris dederunt.* Haud dubie hoc poſtremo loco annum, priore illo decem menſes intelligens. Poſtea propter Cannenſem cladem & frequentiam lugentium inſtitutum fuit, ut non amplius triginta diebus lugeretur. Feſtus *in Græcia ſacra.* Valerius 1. *cap.* 1. quod ſpatium temporis indubie ad habitum triſtiorem referendum, non ad id ſpatium, quod mulieribus vitandæ ſanguinis perturbationi præſcriptum. lugebatur maritus lugubribus, elugebatur anni ſpatio, etiam ſine lugubribus, ob ſanguinis perturbationem. *l.* 8. *& l.* 11. *ff. de his, qui notantur.* Mortuo marito, intra legitimum tempus partum edens mulier maritum lugebat, non elugebat. *d. l.* 11. Lugebantur parentes, non elugebantur. *d. l.* 11. §. 1. de qua differentia lugendi & elugendi ſcripſi ad *d. l.* 11. 35 Olim luctui agendo præfiniti erant decem menſes, per ſupra notata. Tempore legis Juliæ Miſcellæ. *Novell.* 22. *cap.* 43. nondum præfinitus erat annus. Primus Theodoſius annum præfinivit, *ut hic.* quem qui ſecuti ſunt autores, non decem menſium, ſed de annuo luctu loquuntur: & qui ante annum accipiunt pro decem menſibus. Sidonius 4. *epiſt. ſi deceſſiſſet æger tribueret heredibus anni luctus tempus immune.* Apulejus 8. *Si luctu legitimo miſerrimæ fœminæ neceſſarium conceſſiſſet tempus quoad reſiduis menſibus ſpatium reliquum compleatur anni.* vid. Cujacium *cap.* 3. *de præſcription.* 36 Nubens intra tempus luctus infamis eſt, & alias pœnas patitur. *de quibus hic, gloſſ. can. omnis.* 7. *quæſt.* 1. niſi mulier conſenſu liberorum prioris matrimonii nubat. vide *Novell. de non eligendo.* 2. *in verb. copulative.* Angel. *in l. mater.* 5. 𝔍. *ad SC. Tertyllianum.* vel conſenſu prioris mariti: poteſt enim fieri ut teſtamento ſuo prior maritus uxori eam poteſtatem fecerit. Bald. *in l. filium.* 24. 𝔖. *famil. erciſc. & in l.* 1. 𝔖. *h. t.* fallit quoque in muliere minore vigintiquinque annis. *Gloſſ. in l.* 2. 𝔖. *ſi adverſus delictum. arg. l. pen.* 𝔖. *ex quibus cauſ. infam.* fallit quoque hæc ſententia jure canonico. *cap. pen. & ult. extr. de ſecund. nupt. Gloſſ. l.* 1. 𝔖. *h. t. & in l. liberorum.* 11. §. *non ſolent autem.* 3. *ff. de his, qui notant. infam.* licet contrarium teneat *Gloſſ. in l. decreto.* 15. 𝔖. *ex quib. cauſ. infamia. & c. ult. extr. de ſecund. nupt. & cap. ex parte.* 47. *extr. de appell.* Bald. *in l.* 1. 𝔖. *h. t.* Soc. *reg.* 272. 37 Id eſt, donationis propter nuptias. & ita accipitur in Novella Valentiniani *de epiſcopal.* 38 *l.* 2. *C. Theod. h. t.* vide Guid. Pap. *deciſ.* 228. 39 Quid ſi alius pro viro quid mulieri dederit? idem dicendum. *Auth. in donat.* 𝔍. *h. t.* 40 Lucrorum nuptialium, hoc eſt, eorum quæ mulier titulo lucrativo conſequitur ex bonis mariti proprietatem, ad ſecundas nuptias tranſiens, tenetur ſervare liberis communibus, alienatione in extraneos penitus prohibita, *ut hic.* Quid ſi mariti contemplatione res variæ uxori donatæ ſint, eaque mortuo marito alteri nubat? Quidam putant hujusmodi quoque lucra ſervanda liberis eſſe primi matrimonii: quia cum mariti contemplatione ejus uxori donata hic conſtituantur, videntur ex bonis ipſius mariti profecta, *l. ſed ſi.* 10. §. *in arrogato.* 6. *ff. de vulgari & pupill. ſubſt. l. aditio.* 45. §. 4. *ff. de adq. vel omitt. her. l. cum oportet.* 6. *ubi gloſſ.* 𝔍. *de bon. quæ liberis.* Contrarium tamen ſentit Ludovicus Romanus *Conſ.* 493. movetur autem, quod hæc lex ſit pœnalis mulieri ſecundo nubenti: pœna autem in actu ficto locum non habet. *l.* 3. §. *hæc verba. ff. de negot. geſt. l.* 1. §. *hoc interdictum. ff. de fonte.* Ad hæc pœnas extendi non debere. vid. Cremenſem *ſingulari* 82. 41 Lucrum hoc æqualiter diſtribuitur inter liberos. *Nov.* 2. *c.* 1. *Novell.* 22. *c.* 25. 𝔍. *h. t.* 42 *l.* 6. §. 1. 𝔍. *h. t. l.* 2. *verſ. quorum.* 𝔍. *de indicta viduitate. Nov.* 22. *c.* 23. *verſ. & generaliter.* 43 Parum honeſte de ſecundis nuptiis id dicitur. 44 Quod mater ex filii prioris matrimonii ſucceſſione lucratur, ejus proprietatem cæteris defuncti fratribus tenetur ſervare: ſi nulli ſint, poteſt id alienare, deque eo teſtari. 45 Id eſt, nullos liberos. 46 *l.* 6. §. 2. *l.* 8. §. 3. 𝔍. *h. t.* Goth. Ac proinde ultimus ex liberis prioris matrimonii de iis diſponere non poteſt. vid. Joann. a Sand. *deciſ. Friſicar. lib.* 2. *tit.* 3. *defin.* 1. Anſ.

Lucrum

LUcrum hoc æqualiter [1] inter liberos lege diſtribuitur, non arbitrio parentis permittitur.

In AUTHENT. de nupt. §. hinc nos. col. 4. tit. 1. Novell. 22. cap. 46. & de non elig. ſecund. nuben. §. cum igitur. coll. 1. tit. 2. Novell. 2. cap. 3.

EX teſtamento quidem ſuccedit mater liberis ſuis, quæ convolavit ad ſecundas nuptias ſicut inſtitutus quilibet. Ab inteſtato quoque vocatur ſive ante mortem filii, ſive poſtea ſecundas ineat nuptias: Sed ab inteſtato eorum ſolum uſumfructum percipit, quæ ex [2] paterna ſubſtantia ad filium pervenerunt: Quantum vero ad antenuptialem donationem pertinet, erit ſimiliter, ut in reſiduis: omnino ingratitudine, & hoc contra matrem fratresque inſpecta.

In AUTHENT. de non elig. §. hoc autem. col. 1. tit. 2. Nov. 2. cap. 2. & de nupt. collat. 4. tit. 1. §. quoniam autem infirmas. Novell. 22. cap. 26.

SEd & ſi quis ex his præmoriatur abſque progenie, redit ad matrem dominium: quantum acquiritur ex pacto non exiſtentium liberorum: reſiduum autem conceditur quibuslibet defuncti heredibus: Si quid ergo ex his alienaverit: pro ſupraſcripta portione confirmatur alienatio: quare ſi ſola heres extiterit, in ſolidum ad ipſam redit, vel alienationem ſequitur.

Ex quocunque conjugio ſuſcepti filii a ſuis parentibus collatas ſponſalitias largitates ſibi vindicant præcipuas. Bald.

4. Impp. HONOR. & THEOD. AA. Mariniano P. P.

CUm aliis ſanctionibus juſſerimus, materna bona integra ad liberos pervenire, quod tamen mulier mariti largitate percepit, [id] ex eo tantum liberi conjugio procreati ſibi ſpeciale tanquam paternum noverint [patrimonium] vindicandum. Itaque ſi habens filios ad ſecundas nuptias fortaſſe tranſierit: ſponſalitiam largitatem [4], quam vir ſecundus contulit in uxorem, tantummodo filii, qui ex ſecundo matrimonio ſuſcepti ſunt, pro ſoliditate poſſideant; nec proſit liberis ex priore ſuſceptis matrimonio, quod mulier ad tertia minime vota migraverit. Quod ſi poſterior vir ſine liberis ex eodem matrimonio ſuſceptis deceſſerit, quidquid ab eo ex ſponſalium largitate uxor fuerit conſecuta, id ſibi jurique ſuo ſciat eſſe collatum, etiamſi ex priore matrimonio donator filios reliquiſſe doceatur. Ad maternas ſane veniens, vel ex hoc, vel ex quolibet alio titulo facultates omnis poſteritas, ex quocunque ſuſcepta viro, pro debita ſibi portione, ut a matre, vel ſpontanea largitate, vel per teſtamentum ejus fuerit collata, poſſideat. Nos enim hac lege id præcipue cuſtodiendum eſſe decernimus, ut [5] ex quocunque conjugio ſuſcepti filii, patrum ſuorum ſponſalitias retineant facultates. Dat. 3. Non. Nov. *Ravennæ*, HONOR. XIII. & THEOD. X. AA. CONSS. 422.

Ut mater tranſiens ad ſecunda vota lucra prioris matrimonii tenetur reſervare filiis ejusdem matrimonii, ita vir quoque tranſiens ad ſecunda voca tenetur reſervare filiis ejusdem matrimonii lucra dotis. Bald.

5. Impp. THEOD. & VALENT. AA. Florentio P. P.

GEneraliter cenſemus [6], quocunque caſu conſtitutiones ante hanc legem, mulierem liberis communibus, morte mariti matrimonio diſſoluto, quæ de bonis mariti ad eam devoluta ſunt, ſervare ſanxerunt: iisdem caſibus maritum [7] quoque quæ de bonis mulieris ad eum devoluta ſunt, morte mulieris matrimonio diſſoluto, communibus [8] liberis ſervare. Nec intereſt, ſi alter pro marito donationem ante nuptias, vel pro muliere dotem crediderit offerendam. Hoc obſervare præcipimus, licet res ante nuptias donatæ (ut adſolet [9] fieri) in dotem a muliere redigantur. Dominium autem rerum quæ liberis per hujus legis, vel præteritarum conſtitutionum auctoritatem ſervantur, ad liberos pertinere decernimus. Itaque defuncto eo, qui eas liberis ſervabat, extantes ab omni poſſeſſore liberi vindicabunt: conſumptas [vero] ab heredibus ejus exigent, qui eas ſervare debuerant. Alienandi ſane, vel obligandi ſuo nomine eas res, quæ liberis ſervari præceptæ ſunt, eis qui reſervaturi ſunt, adempta licentia eſt. Negotia vero liberorum [10] patri utiliter adminiſtrare concedimus. Dividendi quoque res inter eos liberos ipſis parentibus pro ſuo arbitrio, vel eligendi quem voluerint, licentiam [11] non denegamus.

§. 1. In his autem caſibus, in quibus res ut paternas mater liberis communibus ſervare præcepta eſt, (hoc eſt, ubi morte mariti matrimonio diſſoluto, mulier ad alias nuptias pervenerit) vel ubi [res] ut maternas patrem liberis communibus ſervare cenſuimus: hoc eſt, (ubi morte mulieris matrimonio diſſoluto vir ad alias nuptias venerit) ſi hereditatem ejus parentis qui prior mortuus eſt, non adierint liberi, licebit eis tanquam ejus tantum res fuerint, qui poſterior moritur, ea ſibimet vindicare, ſcilicet ſi ejus, qui poſterior moritur, hereditatem crediderint adeundam: ne [12] quod favore liberorum inductum eſt, quibusdam caſibus ad læſionem eorum videatur inventum.

In AUTHENT. de nupt. §. ſi vero expectet. & §. quoniam autem infirmas. & §. deinceps verſ. ſoluto. 1. col. 4. tit. 1. Novell. 22. c. 23. 26. & 20.

HÆ res lucro cedunt liberis, licet heredes non ſint patris, aut matris, aut utriusque, niſi fuerint ingrati, & probetur ingratitudo.

§. 2. Illud etiam humanis ſenſibus huic legi credidimus inſerendum, ut eo quoque caſu quo lucratur vel mulier res quæ ad eam a marito perveniunt, vel maritus eas quæ ex bonis mulieris ad eum tranſeunt: hoc eſt, ubi primum matrimonium alterius morte diſſolvitur, nec ſuperſtes ad ſecundas nuptias pervenit, ſi res, vel maritus, vel uxor, hoc eſt, qui ſuperſtes eſt, non conſumpſerit, vel alienaverit, (quod eis ad ſecundas nuptias non venientibus, quaſi rerum dominis [13] conceſſum eſſe non dubium eſt) liberis liceat res a patre profectas, ut paternas, a matre, ut maternas accipere. Dat. 7. Idib. Septemb. CP. THEOD. A. XVIII. [14] & FESTO [15] CONSS. 444.

In AUTHENT. neque virum quod ex dote. §. propterea igitur. coll. 7. tit. 10. al. coll. 8. tit. 1. Novell. 98. c. 1.

UXore mortua, quod vir ex dote lucratur, filiis communibus omnimodo reſervatur quantum ad proprietatem, uſufructu patri conceſſo. Idem eſt ex parte mulieris, ſi lucretur ex ſponſalitia largitate. Item ſi aliter matrimonium ſolvatur, ſuper iisdem lucris loquitur hæc eadem conſtitutio.

In AUTHENT. ut fratrum filii. §. quia vero mulieres. coll. 9. tit. 10. al. 7. Novell. 127. cap. 3.

SI tamen abſtineat mater a ſecundis nuptiis, habebit & ipſa proprietatis portionem pro numero liberorum. Idem in patre obtinet, & in omnibus aſcendentibus a ſecundis nuptiis abſtinentibus.

6. Impp. LEO & ANTHEMIUS AA. Erythrio P. P.

HAc [16] edictali [17] lege in perpetuum [18] valitura ſancimus, ſi ex priore matrimonio [19] procreatis liberis pater materve ad ſecunda, vel tertia, aut ulterius [20] repetiti matrimonii vota migraverit: non ſit ei licitum novercæ, vel vitrico, teſtamento, vel ſine ſcriptura, ſeu codicillis, hereditatis jure, ſive legati, ſive fideicommiſſi titulo plus [21] relinquere, nec dotis, aut ante nuptias donationis nomine, ſeu mortis cauſa habita donatione, conferre, nec inter vivos conſcribendis donationibus, (quæ etſi conſtante matrimonio civili jure interdictæ ſint, morte tamen donatoris ex certis cauſis confirmari ſolent) quam filio, vel filiæ, ſi unus, vel una extiterit. † Quod ſi plures liberi fuerint: ſingulis æquas partes habentibus minime plus quam ad unumquemque eorum pervenerit, ad eorum liceat vitricum novercamve transferri. Sin autem non ex æquis portionibus ad eosdem liberos memoratæ tranſierint facultates: tunc quoque non liceat plus [22] eorum novercæ, vel vitrico teſtamento relinquere, vel donare, ſeu dotis, vel ante nuptias donationis titulo conferre, quam filius, vel filia habet, cui minor portio ultima voluntate derelicta, vel data fuerit, aut donata: ita tamen, ut quarta pars quæ eisdem liberis debetur ex legibus nullo modo minuatur, niſi ex his cauſis quæ de inofficioſo excludunt querelam. Quam obſervationem in perſonis etiam avi, [vel aviæ,] proavi, & proaviæ, nepotum, vel neptium, item pronepotum, vel proneptium, ſive in poteſtate, ſive emancipati emancipatæve ſint, ex paterna, vel materna linea venientibus, cuſtodiri cenſemus. † Sin vero plus quam ſtatutum eſt, [aliquid] novercæ, vel vitrico relictum, vel donatum, aut datum fuerit, id quod plus relictum, vel donatum, aut datum fuerit, tanquam non ſcriptum, neque derelictum, vel donatum, aut datum ſit, ad perſonas deferri liberorum [23], & inter eas dividi jubemus omni circumſcriptione, ſi qua per interpoſitam perſonam, vel alio quocunque modo fuerit excogitata, ceſſante.

§. 1. His illud adjungimus, ut mulier in his caſibus, in quibus ante nuptias donationes, cæteras etiam res a marito ad ſe devolutas, ſecundum priorum legum ſtatuta liberis communibus [24], ut paternas, ſervare compellitur: hoc eſt, ubi morte [25] mariti matrimonio diſſoluto ad alias nuptias venerit immobilium rerum & mancipiorum [26], annonarum quoque civilium [27] uſufructu duntaxat vitæ ſuæ tem-

1 Meritus omnis hic intelligitur, qui non eſt demeritus. *l.* 24. *l.* 77. §. 25. *ff. de leg.* 2. 2 Origo bonorum conſideratur. 3 Quæ non extant. 4 Id eſt, donationem propter nuptias, dixi ad *l.* 3. *ſupr. de donat. ante nupt.* 5 *Novell.* 22. *c.* 29. *l.* 4. *ff. ad SC. Tertull.* 6 Intellectum hujus leg. vid. apud Joan. a Sand. *deciſ. Friſicar. lib.* 2. *tit.* 3. *defin.* 1. 2. 3. Anſ. 7 *Novell.* 2. *c.* 2. *Novell.* 22. *c.* 23. *verſ. & hæc communis.* 8 Pater lucra dotalia communibus liberis ſervare tenetur. 9 Donata propter nuptias uxori plerumque a muliere in dotem rediguntur. 10 Pater, bonorum filii legitimus eſt adminiſtrator. 11 *l.* 3. 𝔖. *h. t. l.* 8. §. 7. 𝔍. *de repud. & judic. de mor.* Hodie adempta licentia eſt. *Nov.* 2. *c.* 1. *Nov.* 22. *c.* 25. 12 *l.* 19. *in fin.* 𝔖. *de fid. inſtrum. c.* 61. *de reg. jur. in* 6. 13 Secundas nuptias qui non contrahunt, lucrum nuptialium commodorum in ſolidum conſequuntur, *ut hic, & l.* 8. §. 5. 𝔍. *h. t.* Hodie pro virili portione. *Nov.* 127. *c.* 3. 14 Γρ. 17. id eſt, A. D. 43. 15 Albino. 16 Hanc legem Juſtinianus allegat *Novell.* 22. *c.* 8. Goth. Pro intellectu hujus leg. vid. Fachin. *lib.* 3. *controverſ. c.* 66. Joann. a Sand. *deciſ. Friſicar. lib.* 2. *tit.* 3. *defin.* 4. 5. 6. Treutler. *part.* 2. *exercit.* 16. *th.* 6. *litt.* D. & omnino Berlich. *de jure novercar. part.* 2. *art.* 2. *ſect.* 8. Anſ. Adde Joh. Baptiſt. *hodiern. practicar. quæſt. ad d. l. hac edictali.* S. L. 17 Poteſtne hæc lex ſtatuto tolli? poſſe exiſtimat, & probat Roland. a Valle *tract. de lucro nuptiali, quæſt.* 24. Quæ vera, ſi ſtatuto cautum fuerit, ut maritus dotem lucretur, exiſtentibus etiam liberis ex eo matrimonio. Quid fiet, ſi nominatim ſtatuto id expreſſum non fuerit, ſed ex ſententia tantum ſtatuti colligi poterit? Idem dicendum putat Rolandus, quod ſuperiore caſu dictum eſt, poſſe enim non modo expreſſe, ſed & tacite huic legi derogari. *q.* 25. Quid? huic legi tacite num videtur derogatum, ſi ſtatuto cavebitur, maritum dotem lucrari, uxore præmoriente ſine liberis: hoc non addito ex primo, vel ſecundo matrimonio? Idem autor putat formula ſuperiore non derogari huic legi. *quæſt.* 26. Quid? ſtatutum lucrandæ dotis habetne locum in dote conſtituta ſecundo marito ab extranea mulieris perſona? locum habebit; nec liberis primi matrimonii revocatoria actio ex hac lege competet. Cur? Is qui dotem dat, poteſt dotis reſtitutionem ſtipulari uti velit, & cui velit. *ibid. quæſt.* 27. Quid? num præfertur ſecundus maritus liberis prioris matrimonii, ſi ſtatuto ita caveatur, ut maritus dotem uxoris omni caſu lucretur? præfertur. Idem *quæſt.* 28. Idem fuerit, ſi cautum ita fuerit, ut moriente uxore ſine filiis ex eo matrimonio ſuſceptis, maritus dotem lucretur, *quæſt.* 29. ut nihil teneatur de dote reſtituere, *quæſt.* 30. ut uxore præmoriente ſine liberis communibus, *quæſt.* 31. vel ſine filiis amborum duorum, dotem lucretur, *quæſt.* 32. ſi permittente ita ſtatuto dotem integram marito dederit & tradiderit: ſecus, ſi eo caſu neque dederit, neque tradiderit. *quæſt.* 34. Quid ſi ſtatuto lucrum dimidiæ dotis defertur marito uxore ſine liberis præmortua, & altero capite ſtatutorum, jubentur ſtatuta ſtricte intelligi. An hoc poſteriore prius interpretandum erit: ut in lucro dotis ſuperſtiti marito deferendo, ſequamur hanc legem civilem, quæ non vult maritum lucrari dotem extantibus liberis prioris matrimonii? Ita cenſet Rolandus a Valle *ibid. quæſt.* 35. Pone, ſtatutum marito lucrum dotis deferre in præjudicium liberorum prioris matrimonii, quæritur utrum ſtatutum locum habeat adverſus dictos filios, in aliena juriſdictione exiſtentes? locum non habet. Idem *quæſt.* 36. Idem ſi maritus promiſit dotem reſtituere in omnem caſum & eventum dotis reſtituendæ. *ibid. quæſt.* 37. vel totam & integram dotem. *ibid. quæſt.* 38. aut ſi lucro dotis etiam ſtatutario renuntiaverit. *quæſt.* 39. (ita ut hujusmodi renuntiatio lucri dotalis non poſſit ab ipſis mariti creditoribus revocari ex Edicto. *ff. de iis quæ in fraud. cred. quæſt.* 40.) Idem, ſi maritus de dote teſtari uxori permiſerit (adeo ut hujusmodi permiſſionem ipſe maritus retractare non poſſit.) *ibid. quæſt.* 41. Idem fuerit ſi lucrum dotis ſtatutarium juramento interpoſito maritus promiſerit reſtituere in omnem caſum, & eventum dotis reſtituendæ, renuntiando præterea omnibus, juris, & legum auxiliis; hoc enim caſu ſtatuto de lucro dotis renuntiaſſe aperte intelligitur. *ib. quæſt.* 42. 18 Corrigitur hæc lex per ſtatuta. vid. Menoch. 6. *præſumpt.* 48. *n.* 31. 19 Aliud ſi vulgo concepti: hæc enim authentica hac parte locum non habet in filiis vulgo conceptis. Bald. *in l. cum pater.* 77. §. *mater.* 2. *ff. de legat.* 2. Roman. *ſingul.* 231. Cremenſis *ſingul.* 88. 20 Vide Novellam Conſtantini Porphyrogennetæ, *cap.* 2. 21 Conjunx tranſiens ad ſecunda vota non poteſt ullo titulo in ſecundum conjugem transferre plus, quam reliquerit uni ex filiis primi matrimonii, cui minus reliquerit: & quod ultra reliquerit, non valet, ſed inter liberos æqualiter dividitur. *Salic.* Pone plus legatum eſſe marito ab uxore, & bonorum diviſionem ex hac lege ad æqualitatem inter vitricum, & privignos redigi: quæritur an in viriles partes inter eos bona defunctæ mulieris dividantur: An vero liberi prioris matrimonii prius detrahere ſuam legitimam poſſint, ut ea detracta in eo quod ſupererit, fiat inter eos, & vitricum diviſio? Rolandus a Valle *tract. de lucro nupt. quæſt.* 17. *n.* 3. cenſet *arg. Novell. de nupt. cap. optime.* 27. liberos prius detrahere legitimam: exinde bona defunctæ inter eos dividi & vitricum. Movetur etiam, quod liberi unum auxilium habeant jure naturæ: alterum, quod mater ſecundo nubat: ubi plura vide apud eundem: quo loco & hanc ſententiam multis confirmat & contrarium evertit. 22 Dixi ad *l.* 18. *ſupr. de donat. ante nupt.* 23 Pro rata perſonarum, non pro rata hereditatis Joann. Baptiſt. Coſta *de quota & rata quæſt.* 85. Anſ. Liberorum ſcil. prioris matrimonii, non etiam ſecundi. *Novell.* 22. *cap.* 27. *verſ. & hoc decernens.* S. L. 24 Liberis prioris matrimonii res ab eorum patre propter nuptias donante acceptas mater ſervare debet. 25 *Novell.* 68. 26 Ruſticorum, ut in *l.* 3. *ff. de diverſ. tempor. præſcript.* 27 *Annonæ civiles* comparantur rebus immobilibus, *ut hic:* Idem interpretes ſtatuunt in reditibus annuis, niſi ad tempus modicum conſtituti ſint: alias immobilibus comparari volunt, nec alienari ſine decreto. vid. Molinæum *de uſuris, quæſt.* 37. *n.* 173. adde Gail. 2. *obſerv.* 19.

poribus

poribus potiatur, alienatione earum penitus interdicta. Mobilium vero rerum, juſtis pretiis æſtimatione [1] habita per eos, quos utraque pars elegerit arbitros judicaturos, interpoſito ſacramento, ſimili modo uſumfructum habeat, ſi [2] idoneam fidejuſſionem præbuerit, quod eaſdem res mobiles, vel earum pretium filiis & filiabus ex eodem matrimonio procreatis vel poſt mortem eorum nepotibus & neptibus ex eiſdem liberis procreatis, ſive omnibus, ſive uno unave ſuperſtite mori contigerit, ſecundum legum modum [3] reſtituat: vel certe ſi fidejuſſiones idoneas præſtare diſtulerit, aut nequiverit: prædictæ res mobiles nondum matri a liberis traditæ, apud eoſdem manebunt. Solutæ vero eidem matri, vel ab eadem detentæ reſtituentur liberis, ſi tamen ab his fidejuſſio idonea matri fuerit oblata, qua caveri debet, *Quod eidem ſuperſtiti pro uſufructu earundem rerum mobilium, vel pretio quo taxatæ ſunt, uſurarum nomine centeſimæ partem tertiam* [4] *annuis quibuſcunque temporibus præſtare non different:* ita [tamen], ut in eadem fidejuſſione hoc quoque caveatur [5], *Quod a filiis filiabuſve, vel ex his progenitis liberis, ſi* [6] *ante eandem matrem omnes eos obire contigerit, omnes res prædictæ mobiles ſecundum legum moderationem* [7] *matri, ut ad eandem luctuoſum lucrum redeat, reſtituantur.* † Erit itaque licitum utrilibet parti, quæ fidejuſſionem præbuerit, ſi ſibi commodum eſſe perſpexerit, his rebus mobilibus uti frui, eaſdemque dare mutuo, vel obligare, vel vendere, ut ex his maxime liberi acquirentes poſſint materno affectui ſine ſuo incommodo deſervire.

† Sin autem utraque pars prædictam fidejuſſionem diſſimulaverit, aut forte offerre nequiverit: eædem res apud [8] mulierem usque in diem vitæ ſuæ manebunt.

In AUTHENT. de non eligend. §. aliud. coll. 1. tit. 2. Novell. 2. cap. 4. & in Authent. de nupt. §. & quia parum. coll. 4. tit. 1. Novell. 22. cap. 45.

SEd ſi aurum fuerit in donatione propter nuptias ſcriptum: cautio uſurarum exponitur, non autem aurum exigitur: niſi forte viri ſubſtantia habeat aurum, & cætera quæ ſcripta fuere.

§. 2. Omnibus videlicet iiſdem maritalibus facultatibus, his etiam quas habet habiturave [9] eſt tanquam ſi jure pignoris [10], vel hypothecæ ſuppoſitæ ſint, ſuper eadem ante nuptias donatione, vel rebus aliis ad eam ex mariti ſubſtantia devolutis, ex eo die, quo eædem res ad eam pervenerint, liberis obligatis: ut ſi quis poſt traditas matri, vel detentas ab ea res (ſi ita contigerit) contractum aliquem cum eadem muliere inierit, quæ ſe repetitis nuptiis copulaverit: in vindicandis [11] iiſdem ſuppoſitis rebus poſteriores habeantur: liberis qui ex eodem matrimonio procreati ſunt, & nepotibus neptibusque qui ex iiſdem liberis geniti ſunt, ſine dubio præponendis. §. 3. Sin vero liberorum ſuorum affectione [12] ſervata, pater, materve ad alias nuptias migrare noluerit: neque vir his quæ de bonis uxoris ad ſe transeunt, neque mulier rebus quæ ex ſubſtantia mariti ad ſe pervenerunt, pro [13] ſuo arbitrio uti, vel eas vendere, aut quocunque jure, vel modo alienare, vel pignoris jure, ſeu hypothecæ, ſi voluerint, obligare, utpote domini earum prohibebuntur. Extantes autem prædictas res, ſi non fuerint alienatæ, vel conſumptæ, vel ſuppoſitæ, licebit liberis vindicare [14], etiam [15] non adeuntibus hereditatem parentum. Dat. 2. Kal. Mart. MARTIANO & ZENONE CONSS. 469.

Filius transmittit ad deſcendentes jus vindicandi lucrum ſibi proveniens propter ſecundas nuptias patris, vel matris, aſcendentibus & collateralibus excluſis: ſed electionem habet in quem volet liberorum ſuorum lucrum illud transferendi. Non eſt igitur hæc lex abrogata Novell. 2. Juſtiniani quæ matri electionem adimit, non autem ejus filio. Char.

7. Imp. ZENO A. Sebaſtiano P. P.

IN quibus caſibus pater dotem, mater ante nuptias donationem [16], vel alias res ad ſe ex altera parte devolutas, filiis utriuſque ſexus ſervare præcepti ſunt: ſi quem ex filiis vel filiabus ante patris, vel matris obitum mori contigerit (ſive ante ſecundas nuptias, ſive poſtea) filio vel filia, nepote vel nepte, vel pluribus, patre ſuo adhuc vivo, vel matre ſuperſtite, derelictis: portionem quæ defuncto filio, vel filiæ debebatur, vel lucrum ex ea, non ad fratres, vel ſorores mortui, ſed ad [17] filios ejus, vel filias, vel nepotes utriuſque ſexus, aut [18] pronepotes, avis, vel proavis ſuperſtitibus, pervenire decernimus: eligendi [19] videlicet, quos voluerint ex liberis ſuperſtitibus, non adempta licentia. Dat. Kal. Mart. ELLO V. C. CONS. 478.

8. Imp. JUSTIN. A. Mennæ P. P.

SI quis prioris matrimonii filiorum ante ſecundas nuptias patris, vel matris motuus fuerit, filiis a ſe, vel nepotibus, vel pronepotibus relictis: partem ejus non [20] ad fratres, vel, ſi nullus alius frater, vel ſoror ſit, ad patrem [21], vel matrem ejus pervenire, ſed [22] ad filios, vel nepotes, vel [pronepotes] ejuſdem mortuæ perſonæ, ſancimus: ut ſive unus, ſive plures ſint, eam [23] tantummodo partem vindicare poſſint, quæ mortuo competiit. §. 1. Illud [24] etiam certa ſanctione definire cenſemus, ut ſi quis vel ſi qua ex alio matrimonio filios procreaverit, minime ad ſecundas [25] nuptias venerit, eodem modo liceat quidem genitori [vel genitrici] res ex priore conjugio ſibi acquiſitas, quomodo [26] voluerit, alienare, vel adminiſtrare: Si quæ vero earum minime ſint alienatæ, poſſint liberi etiam [27] non adeuntes paternam, vel maternam hereditatem eas vindicare. §. 2. Certum eſſe ſancimus, quod etiam illa de cætero videbitur earum ſuſceptarum rerum alienatio, quæ in [28] teſtamento [29] genitoris, vel genitricis, vel ſpecialiter relinquendo, vel generaliter heredem inſtituendo facta ſit.

In AUTHENT. de nupt. §. deinceps. & §. ſolut. coll. 4. tit. 1. Novell. 22. cap. 20.

NUnc autem, niſi expreſſim [30] *transponat in alios, præſumitur ipſis conſervare talia lucra.*

§. 3. Talem vero licentiam [datam] filiis, ut etiam non [31] adeuntes paternam, vel maternam hereditatem, lucra vindicent, quæ parens eorum ex matrimonio quod ſecundo toro minime mutavit, ſibi adquiſita non alienavit, nullo modo eis concedimus, ſi paternam vel maternam hereditatem ab inteſtato ex parte (ſi forte alii etiam ex anteriore matrimonio orienti parenti filii ſunt) ſibi acquiſierint.

§. 4. In illo etiam veterem ſanctionem adimplentes, præcipimus exemplo [32] matris, cujus res poſt ſecundas nuptias filiis ex priore matrimonio natis [in hypothecam] ſuppoſitæ ſunt, & paternam etiam lucra quæ ex priore matrimonio ad eam perveniunt: patris quoque bona quæ habet habiturusque eſt, filiis ex priore matrimonio natis poſt ſecundas ejus nuptias, ad ea conſervanda, quæ ex eorum matre lucratus eſt, ſuppoſita eſſe. §. 5. Illius etiam patris qui in ſua poteſtate tales liberos [33] habet, vel liberos habens maternam ſubſtantiam, vel ex anteriore matrimonio, ſecundas nuptias contraxerit, bona iiſdem liberis [34] ſuppoſita eſſe ad conſervandas eaſdem maternas res decernimus: ita tamen, ut occaſione talium hypothecarum, neque patris, neque matris adminiſtrationem filii valeant perſcrutari [35], vel aliquam eis movere ſuper hoc quæſtionem: cum perſpicui ſit juris, [illegible] iiſdem munere filiis [illegible]. Dat. 3. Idib. Decemb. D. N. JUSTINIANO A. II. CONS. 528.

Totum quod ultra modum ſecundæ conjugi datur vel relinquitur, tanquam non datum liberi utriuſque matrimonii applicatur. Bald.

9. Idem A. Mennæ P. P.

QUoniam præteritæ [36] leges omnia quæ liberis ex priore matrimonio procreatis mulier quidem ſecundo marito, vir autem ſecundæ uxori dotis, vel ante nuptias donationis nomine vel alio quocumque modo dederit, vel reliquerit, his ampliora quæ uni filio, vel filiæ ex anteriore matrimonio progenitis danda vel relinquenda ſunt, revocata ad ſolos filios, [vel filias] ex anteriore matrimonio natos pervenire conſtituerunt, nullaque in hac parte filiorum ex ſecundo matrimonio natorum mentio facta eſt: hoc quoque corrigentes, omnia quæ memorato modo revocantur, non ſolum ad filios prioris matrimonii, ſed [37] etiam ad eos qui ex ſecundis nuptiis nati fuerint, pertinere, & in capita inter omnes dividenda ſancimus. §. 1. Ad hæc lucra quæ marito, vel uxori ex dote, vel ante nuptias donatione occaſione repudii accedunt, indiſtincte poſt ſecundas eorum nuptias liberis ex priore conjugio procreatis ad ſimilitudinem [38] matrimonii morte diſſoluti ſervari, nec de cætero repudii cauſam requiri, vel aliam in ea [re exquiſitionem] fieri. Dat. Id. April. *Conſtantinop.* [illegible] V. C. CONS. 486.

In AUTHENT. de nupt. §. 1. & §. nec illud. & §. optime. coll. 4. tit. 1. Novell. 22. cap. 1. 29. & 27.

AD eos ſolos [39] *etiam nunc pertinet: & ſi quis ex eis præmortuus relicta ſobole, portio ejus ad eam defertur.*

10. Idem A. Demoſtheni P. P.

CUm apertiſſime legibus caveatur, ingratos [40] liberos a majorum ſuorum hereditate merito eſſe repellendos, ſi hoc idem in ſuis elogiis conſcripſerint, & revera hoc fuerit revelatum: reclamare videtur hujuſmodi ſanctioni divalis conſtitutio [41] Leonis inclytæ recordationis, quam ſuper filiis ex priore matrimonio procreatis conſcri-

1 Æſtimatio facit venditionem. *l. 1. ff. de æſtim. act. l. 10. ff. de jur. dot.* 2 *Novell. 2. cap. 4. 22. cap. 45.* 3 Secundum legum moderationem. *Ĩ. h. t.* 4 Id eſt, uſuras trientes. 5 Vid. Anton. Gabriel *commun. concluſ. de ſecund. nupt. concluſ. 3. numer.* 29. hæc poſtrema cautio in dubio non exigeretur, ſi liberis hiſce de rebus libera diſponendi eſſet facultas. adde Anton. Fab. *Cod. lib. 5. tit. 5. defin.* 16. Anſ. 6 Id eſt, ſatisdabunt ſe reddituros res omnes quas ex cauſis ἀπαιδίας mater lucratur. Cætera transmittuntur ad heredes ſuos. 7 *Ut & ſupra ſecundum legum modum.* Hæc verba videntur adjecta a Triboniano propter conſtitutionem Juſtiniani, quæ vult deduci id quod ex caſu mortis liberorum mater lucratur. 8 Mater præfertur filiis in adminiſtratione rerum donatarum propter nuptias. 9 Tacitis hypothecis continentur etiam futura bona. In tacitas hypothecas veniunt etiam futura ſeu adquirenda bona, *ut hic.* An & jura & nomina? veniunt. Cyn. & Bald. *hic.* 10 Lucra nuptialia matres liberis ſervare tenentur: quin pro eorum reſtitutione bona ipſarum matrum præſentia, & futura tacite obligata ſunt. Bona matrum liberis ſunt obligata pro rebus ab eorum patre ad eam translatis. 11 Vide *l. 3. in fin. ſupr. h. t.* 12 Amat liberos quæ ad ſecundas nuptias non tranſit. 13 Secundas ad nuptias qui non tranſit, poteſt pro ſuo arbitrio de lucris nuptialibus diſponere. *Novell.* 22. *c.* 1. non alienata tamen pertinent ad liberos, etiamſi parentum heredes non exiſtant. 14 *l. 3. in fin. ſupr. h. t.* 15 *l. 8. §. 1. Ĩ. h. t.* 16 V. Joannem Aurpachum *lib. 2. allegat. c.* 25. Mod. 17 Proprietas rerum donatarum propter nuptias a matre ad liberos transferenda. Quid ſi unus liberorum moritur? ejus liberi patrem repræſentant, & in ea fratres defuncti excludunt. *l. 8. Ĩ. h. t.* & ita præmortuis filiis, ſi nepotes exiſtunt, ſuccedunt in lucra nuptialia jure hereditario in ſtirpes. *Nov.* 22. *c.* 25. *l. 3. Ĩ. de bon. quæ lib.* 18 Lucra nuptialia parentes liberis in infinitum tenentur ſervare: In liberis tamen unum eligere poſſunt & in eum id genus lucri conferre. 19 Datur electio filio, ut partem quam habet in donatione propter nuptias matri facta, transferat in quem velit liberorum ſuorum. 20 Sed ad liberos, ut *l. 7. Ŝ. h. t.* 21 Rerum propter nuptias matri donatarum proprietas ſpectat ad ejus liberos. Unus liberorum moritur relicto matre & liberis. quid juris? liberi matrem, id eſt, ſuam aviam excludunt in ea parte. 22 *l. 3. Ĩ. de bon. quæ lib.* 23 Nepotes ſuccedunt in ſtirpes. 24 Subrogati melioris non ſunt conditionis quam hi ſunt quibus ſubrogantur. 25 Qui non tranſit ad ſecunda vota, poteſt de lucris nuptialibus diſponere. *Bald.* Eſt qui ita interpretatur. Caja ſuſcepit ex Titio liberos, eadem poſtea nupſit Sempronio, a quo res varias donatione propter nuptias accepit. Mortuo Sempronio manſit vidua? Poteſt Caja alienare quo voluerit modo res donatione propter nuptias a Sempronio acceptas, etiamſi liberos ex Titii nuptiis habeat. 26 Etiam per teſtamentum: qua de re vide §. 2. Ĩ. 27 *l. 6. in fin. Ŝ. h. t.* 28 Alienationis verbo etiam intelligitur alienatio per teſtamentum, ſeu teſtamentaria. *l. 69. §. 3. ff. de leg. 2. l. 135. §. 3. ff. de verb. obligat.* vide *l. 1. Ĩ. de fund. dotal. l. 28. l. 67. ff. de verb. ſignif.* Imo inſtitutio non continetur. *l. 38. ff. de leg. 3.* 29 Olim parens non tranſiens ad ſecunda vota lucra nuptialia alienare poterat non tantum inter vivos, ſed etiam teſtamento, per legatum aut fideicommiſſum, aut generalem inſtitutionem. *§. 1. ſupr. hic. l. 5. in fin. ſupr. eod.* Hodie ſpecialiter tantum, non per generalem inſtitutionem. *Authent. prox. Ĩ. h. t.* & ita *hic* §. abrogatur. 30 Alciatus hinc colligit, Parentes alienantes bona generaliter, præſumi reſervaſſe lucra matrimonii filiis ſuis: niſi expreſſim ea alienent. 1. *præſumpt.* 5. 31 Liberi adeuntes pro parte hereditatem paternam vel maternam, lucra nuptialia alienata revocare non poſſunt. 32 Ut bona matris ſecundo nubentis liberis (quibus lucra nuptialia reſervari debent) tacite obligantur. *l. 6. §. 2. Ŝ. h. t.* ita & patris, *ut hic.* Hoc tamen ſpeciale eſt, Patrem non cogi ad reddendam liberis rationem ſuperiorum nomine. *Ĩ. h. t.* 33 *Liberum* dixit numero unitatis, ut *l. 33. ff. de pactis.* 34 *l. 12. §. 1. verſ. Exceptis. Ĩ. qui potior.* 35 Nota caſum in quo parens non tenetur ad reddendam rationem. 36 *l. 6. Ŝ. h. t.* 37 Abrogatur eo pacto *lex 6. Ŝ. h. t.* Verum hæc noſtra lex poſtmodum abrogatur per *Authent. ad eos. Ĩ. h. t.* reducto uſu *d. l. 6.* 38 Statuta de lucris nuptialibus ſoluto per mortem matrimonio, locum etiam habent matrimonio per divortium ſoluto. *l. 6. l. ult. Ĩ. de repud. & judic. de morib. Nov. 98. c. 1.* 39 Qui injuriam paſſi ſunt. res ita habet: Qui ad ſecundum matrimonium tranſiit, non poteſt ad ſecundam conjugem dotis vel ſponſalitiæ donationis, vel quo alio titulo plus transferre, quam in unum ex liberis prioris matrimonii, cui minus reliquerit. Quid, ſi plus datum ſit? Id quod ultra modum erit, revocabitur, pertinebitque non ad liberos primi & ſecundi matrimonii, ſed ad eos tantum liberos qui offenſi ſunt per tranſitum ad ſecunda vota, id eſt, ad priores liberos. *Bald.* 40 Ingrati liberi merito exheredantur. 41 *l. 6. ſupr. h. t.*

pſit.

pſit. Nam cum neceſſitas eſt patri, vel matri, qui ad ſecunda vota migraverit, tantum præſtare per quamcumque cauſam ſecundo marito, vel novercæ, quantum filio, vel filiæ ex anterioribus nuptiis progenitis, qui partem minimam habiturus eſt, reliquerit; maxima iniquitas ex hac ſanctione contra genitores efficiebatur: liberi etenim ſcientes, quod omnimodo aliquid ſibi a genitoribus ſuis etiam nolentibus relinquendum eſt, & tantum, quantum ſecundus maritus, vel noverca acceperit, omni licentia & laſcivia ſuos genitores injuriis adficiebant. Quapropter ſancimus, ingratos [1] revera liberos neque hoc beneficium, quod divalis conſtitutio Leonis Auguſtæ memoriæ eis præſtitit, in poſterum poſſe ſibi vindicare, ſed quaſi ingratos ab omni hujusmodi lucro repelli. † Quam obſervationem in perſonis, etiam avi & aviæ [proavi & proaviæ], nepotum, vel neptium, item pronepotum vel proneptium, ſive in poteſtate, ſive emancipati emancipatæve ſint: ex paterna vel materna linea venientibus cuſtodiri cenſemus. † Sed quemadmodum genitoribus providemus, ita & innocuam [2] poſteritatem nullis affici injuriis patimur: ut non genitores, qui ſeſe ſecundis nuptiis devoverint, irrationabile odium ad priores [3] liberos forſitan habentes, ſine juſta ratione eos ingratos [vocare] concedatur. † Eos etenim liberos hujuſmodi beneficio defraudari volumus, qui re [4] ipſa ingrati circa ſuam antiquitatem ab heredibus genitorum liquidis [5], & indubitatis probationibus convicti fuerint, ex ejuſmodi caſibus, qui antea priſcis legibus enumerati ſunt. Dat. 15. Kalend. Octob. *Chalcedone,* DECIO V. C. CONSS. 486.

In 28. lib. βασιλικῶν *fit mentio* XI. *conſtitutionis hujus tituli, quæ ipſius quidem eſt Juſtiniani, ſed ab eo abrogata Novell. 2. in qua etiam illius meminit: illam vero tum ex ipſo* βασιλ. *libro, tum ex Novella Juſtiniani fuiſſe conſtat de hereditatibus filiorum, quorum matres ad ſecundas venerant nuptias, ſi ipſi ante eas inteſtati deceſſerint.* † *In eodem* βασιλ. *libro fit etiam mentio* XIV. *conſtitutionis hujus tituli, quæ ipſius eſt Juſtiniani, eam Cujacius Latinam edidit in Comment. ad Novell. Juſtiniani: quem ſecuti, illam ſic reſtituimus.* Char.

11. Idem A. * 6.

SI filii, quorum parentes ad ſecundas venerant nuptias, ante eos deceſſerint, proprietas lucrorum nuptialium ad filiorum heredes etiam extraneos teſtamento ſcriptos perveniet: deducto eo, quod in caſum [7] orbitatis parentem lucrari convenit, quod etiam pro rata obſervatur uno ex pluribus filiis ante parentem mortuo. Sed ſi parens lucra nuptialia alienaverit, & ad ſecundas nuptias venerit, nec eum liberi heredem inſtituerint, valebit alienatio ad finem ejus, quod in caſum mortis liberorum lucrari parens, qui alienavit, debuit, & reliquum revocabitur ab heredibus defunctorum liberorum. Dat. *

Cum recitat primum hujus legis caput Cujacius, hæc adjicit: quæ tamen potius pro interpretatione accipienda videntur:

Nam pars, quæ ei competebat, tranſit ad heredes ejus, ſive fratres ſint, ſive extranei, deducto tantum eo pro rata quod apud parentem ex caſu orbitatis ſive morte liberorum remanere debet.

Verum Græcam quoque hujus conſtitutionis epitomen ab Ant. Auguſtino editam relinquimus. Char.

Græca conſtitutio. Ejus particulam hanc retulit Ant. Auguſt.

SEcundo nubens, aut uxorem ducens, prioris matrimonii lucra ipſius liberis præmortuis habeat, & vindicet ab his qui habent.

TIT. X.

SI [8] SECUNDO NUPSERIT MULIER, CUI MARITUS USUMFRUCTUM RELIQUIT.

1. Imppp. VALENT. THEOD. & ARCAD. AAA. ad Tatianum P. P.

SI uſumfructum maritus rerum [9] ſuarum decedens uxori reliquerit, eaque in ſecundas nuptias conſortiumque convenerit: uſumfructum, quem ex priore marito conſecuta fuerit, amittat [10]: atque eum filiis ex eo die, quo nupſerit, mature reſtituat. Quod ſi liberos ex priore matrimonio adhuc imbecillitas habebit infantiæ, nec muniat [eos] tutoris auxilium, ac per hujuſmodi occaſionem mater, quæ relicta fuerant, uſurpaverit: omnia legitime repetantur, [&] cum competentibus fructibus ad liquidum deducta ratione reſtituat. Hæc de uſufructu, quem vir extremam conſtituens voluntatem, de rebus propriis uxori reliquerit. † De uſufructu vero rerum ante nuptias donatarum, ea obſervari, quæ antetiores conſtitutiones decreverunt, ſancimus. Dat. Idib. Martiis, ARCAD. A. II. & RUFINO CONSS. 392.

In AUTHENT. de nupt. §. ſi vero ſolum. coll. 4. tit. 1. ex Nov. 22. c. 32.

HOc locum habet, ſi datus vel relictus fuerit ea lege, ut ex ſecundis nuptiis interiret: alioquin perſeverat, ſive relictus eſſet, ſive donatus, quibus caſibus licuit. Sed uſusfructus in dote, ſive ante nuptias donatione lege permiſſus, non poteſt a teſtatore derogari.

TIT. XI.

DE DOTIS [11] PROMISSIONE [12] ET NUDA POLLICITATIONE [13].

De quantitate omiſſa.

1. Imp. ALEXAND. A. Claudiæ P. [14].

FRuſtra [15] exiſtimas actionem tibi competere, quaſi promiſſa dos tibi, nec præſtita ſit, cum [16] neque ſpecies ulla, neque quantitas promiſſa ſit, ſed [17] hactenus nuptiali inſtrumento adſcriptum, *Quod ea, quæ nubebat, dotem dare promiſerit.* P. P. Kal. Aug. POMPEIANO & PELIGNO [18] CONSS. 232.

De uſuris.

2. Imp. GORD. A. Herodoto P. P.

SI *pro dote promiſſa uſuras* [19] *dare* ſocer tuus ſpopondit: id, quod deberi oſtenderis, competens judex ſolvi tibi præcipiet. P. P. 12. Kal. Septemb. PIO & PONTIANO CONSS. 239.

De quantitate commiſſa in arbitrium ſtipulatoris.

3. Idem A. Claudio [P. P.]

SI quum ea quæ tibi matrimonio copulata eſt, nuberet, is [20], cujus meminiſti, dotem tibi non addita quantitate, *ſed quodcunque* [21] *arbitratus fuiſſet*, pro ea daturum ſe rite promiſit, & interpoſitæ ſtipulationis fidem non exhibet: competentibus actionibus uſus, ad repromiſſi emolumentum jure judiciorum pervenies. Videtur enim boni [22] viri arbitrium ſtipulationi inſertum eſſe. P. P. Kalend. Januar. SABINO & VENUSTO CONSS. 241.

De parte non ſoluta.

4. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Rufo.

SI voluntate dotantis in dotali inſtrumento plura [23] tibi tradita ſcripſiſti, quam ſuſcepiſti? intelligis, de [24] his, quæ deſunt, petendis, pactum eſſe conſecutum. S. Non. Aprilis, AA. CONSS.

Cui datur actio.

5. Iidem AA. & CC. Daſumianæ.

SI pater marito tuo ſtipulanti promiſerit dotem, non tibi, ſed [25] marito contra ſucceſſores ſoceri competit actio. Dat. 8. Kal. Decemb. AA. CONSS.

De verbis, de ſcriptura, de nudo pacto.

6. Impp. THEOD. & VALENT. AA. Hierio P. P. poſt alia.

AD [26] exactionem dotis, quam ſemel præſtari placuit, qualiacunque ſufficere verba cenſemus, [ſive ſcripta fuerint, ſive non] etiamſi [27] ſtipulatio [28] in pollicitatione rerum dotalium minime fuerit ſubſecuta. Dat. 10. Kal. Mart. *Conſtantinop.* FELICE & TAURO CONSS. 428.

Ex quibus bonis dotem filiæ dediſſe pater intelligatur.

7. Imp. JUSTINUS A. Joanni P. P.

SI pater dotem pro filia ſimpliciter dederit [29], vel [pro] filio ante nuptias donationem fecerit [30], habeat autem filius, vel in poteſtate conſtitutus, vel forte emancipatus res maternas, vel [ex] alio modo tales, quæ acquiſitionem effugiunt, quarum uſusfructus ſolus apud patrem remanet, vel quocumque modo poterat quaſdam actiones contra patrem habere: dubitabatur apud veteres, utrumne videretur pater ex ipſo debito dotis vel ante nuptias donationis feciſſe promiſſionem, vel dationem, ut ſeſe ab hujuſmodi nexu liberaret, an debitum quidem remaneret in ſua natura, liberalitas autem paterna dotem, vel ante nuptias donationem dare ſuggeſſiſſet. Et in tali dubitatione multa pars legumlatorum ſeſe diviſit, alio etiam incremento hujuſmodi quæſtioni addito, ſi forte dixerit in inſtrumento dotali, ex rebus paternis & maternis dotem, vel ante nuptias donationem dare: utrum pro dimidia parte videatur datio, vel promiſſio facta eſſe, an pro rata portione utriuſque ſubſtantiæ. Utramque igitur dubitationem certo fini tradentes, ſancimus [31], ſi [32] quidam nihil addendum exiſtimaverit, ſed ſimpliciter [33] dotem vel ante nuptias donatio-

1 Ingrati liberi non admittuntur ad lucra nuptialia liberis primi matrimonii a lege data. Ideoque juſte exheredati liberi in ſuperflui partem non veniunt, neque ex parentis bonis tantum quantum vitrico, aut novercæ parens dedit: Imo nihil vindicare poſſunt. Exheredatio enim extinguit omne jus filii, idque adjicitur *l. 6. Ŝ. h. t.* quæ vetat filio relinqui minus legitima: hæc vero ne minus quam vitrico aut novercæ, utrumque adimitur exheredato. 2 Innocens poſteritas nullis afficienda eſt injuriis. 3 Perſæpe id evenit, ut parentes ſecundi, quam prioris matrimonii liberos magis diligant. 4 Ingratitudo intelligitur cum effectu. *Novell. 22. cap. 27. verſ. Hoc autem.* 5 Ingratum qui dicit, probare tenetur, *Novell. 115. cap. 3. §. 14. verſ. Sive.* nec enim ſtatur nudo patris teſtamento. *arg. l. 4. ff. de inofficioſ. teſtam.* 6 Juſtinianus meminit hujus conſtitutionis *Novell. 22. & 68.* 7 Caſus orbitatis ſive mortis liberorum, dotis, vel donationis propter nuptias lucrandæ pro parte vel in totum. Caſus ii ſunt, divortii, mortis, orbitatis, ſive mortis liberorum. Inde caſus abſolute pro lucro nuptiali. *l. ult. Ĩ. de jure dot.* ut caſus dotis, caſus militiæ.

8 *l. unic. 3. Cod. Theod. 9.* 9 Uſumfructum rerum ſuarum maritus uxori relinquit, vel rerum ante nuptias donatarum. Priore caſu veteri jure mulier ſecundo nubendo uſumfructum amittit, qui ad filios defuncti revertitur. Poſteriore, non amittit, ſed poſt obitum ejus ad filios ejuſdem defuncti redit. Hodie uſumfructum ita demum amittit mulier, ſi ita relictum accepit, ut per ſecundas nuptias eum amitteret. *Auth. prox.* 10 Secundas qui olim nuptias contrahebat, relictum vel conceſſum ſibi a priore conjuge uſumfructum bonorum omnium amittebat, & liberis prioris matrimonii integrum reſtituebat. id quidem abrogatur Authentica proxima.

11 De dotibus 3. *Cod. Theod.* 13. & 4. Harm. 8. Ulp. 6. 12 De dictione dotis, vide Ulp. 6. §. 2. 13 Ex qua naſcitur actio. *l. 4. l. pen. Ĩ. h. t. l. 1. §. penult. ff. de collat. dot.* 14 Claudio: ita legendum eſt: ſcribit enim ad maritum Imperator. 15 Vide Antonium Guibertum *de dote p.* 39. Coraſium *ad l. qui liberos. p. 427. de rit. nupt.* Vandum *lib. 2. var. q. c.* 4. Guterium *lib. 1. reſol. c. 64. a n.* 13. Menochium *de arbit. jud. c.* 149. Mod. 16 Dos incerta, re & genere ex pacto nudo peti non poteſt, etiamſi nudum pactum in ſcriptis ſit redactum, cum poſſit mulier vel viliſſima quædam dotis nomine exhibere. vel ita: Dotem promittente muliere non adjecta quantitate, aut re certa expreſſa quæ in dotem detur, inutilis eſt promiſſio, cum poſſit mulier vel viliſſimum quidpiam dotis loco dare. 4. Harm. 8. §. 44. Imo peti poteſt. *l. 3. Ĩ. h. t. l. 69. §. 4. ff. de jure dotium.* Harmen. *d.* §. 4. refert ad patrem pro filia dotem pollicentem: hanc legem ad ipſam filiam. Verum hæc ſententia Accurſio diſplicet, & Forcatulo 2. *Cupidin. num.* 8. & 9. putat itaque maritum hac lege indefinitæ dotis promiſſionem ad omnium bonorum dotem extendere (cum id nulla lege prohibeatur. *l. 4. Ĩ. de jur. dot.*) voluiſſe: ac ſi Imperator diceret, valet promiſſio dotis: ſed fruſtra nimiam dotem tibi eſſe præſtandam opinaris. Alii putant hac lege id innui, Indefinitam dotis promiſſionem nullius fore momenti, niſi privilegio vel beneficio Principis adjuvetur promiſſio: ſed Fajus apud Paponem, 1. *Notar. 4. cap. du contract de mariage.* Harmenopuli diſtinctionem tuetur, cujus hanc eſſe rationem putat: intereſſe mulieris quoties ipſa dotem promiſit, dotis promiſſionem ad quantitatem minimam redigere, ut reliqua bona ſint ei paraphernalia. Contrarium eveniret, quoties aliquis dotem mulieris nomine marito promiſit, ne alioquin indotata maneat. Sincerior eſt & æquior, meo judicio Forcatuli ſententia, minus tamen textui videtur reſpondere. 17 Dotem promittere, & dotem dare promittere, ſeu ſolenniter dicere hic diſtinguuntur. adde Forcatulum *in Cupidine Juriſperito*, Coſtanum *tract. de dotib. c. 4. in fin.* 18 Feliciano, ita legi oportet. 19 Uſuras dotis qui promittit, dotem ipſam promittere videtur. *l. 21. §. 1. ff. de donat. inter vir.* 20 *Subint.* extraneus: *ut Theodorus* Græcus interpres notat. 21 Vide *l. 1. Ŝ. h. t. l. 69. §. 4. ff. de jure dot.* 22 *l. 22. in fin. ff. de reg. jur.* 23 Plus ex cauſa dotis qui ſe recepiſſe confitetur, quam recepit, ad ſupplementum dotis agere poteſt. vide *Synopſ. Baſil. 29. tit. 1. c. 38. & 4.* Harm. 8. §. 25. περὶ τῶν εἰς προῖκα δοθέντων. 24 Facit *l. 12. §. 3. in fin. ff. de pactis dotal.* 25 Ex promiſſione dotis agit maritus non mulier, ſecus in legato. *l. 69. §. 2. ff. de legat.* 1. Ex nuda promiſſione dotis petere dotem debet. 4. Harm. 8. §. 13. ex quavis promiſſione petitionem dotis habet, etiamſi ſtipulatio non præcedat. *Synopſ. ib. c.* 85. 26 *l. 3. C. Theod.* adde Harm. *d. loco.* 27 Etiamſi dictio vel ſtipulatio &c. *d. l.* 3. Tribonianus verbum *dictio* ſuſtulit propter ſublatam ſolennitatem dotis dicendæ. Idem factum in *l. 1. Ĩ. de jure dotium.* Dos autem dicebatur ſolennibus verbis ſine ſtipulatione, vide *l. 48. ff. de jure dot.* veluti ita: decem doti tibi erunt. *l. 59. ff. de jure dot.* aut, quod mihi debes doti tibi erit. *l. 44. §. 1. l. 46. §. 1. l. 57. ff. de jure dot.* dixi ad Ulp. 6. §. 1. & *ſeq.* 28 *l. 35. §. 5. Ĩ. de donat.* 29 Intellectum hujus legis vid. apud Afflict. *deciſ.* 179. & Johan. Baptiſt. Coſtam *de quot. & rat. q.* 62. 30 Idem Coraſius *ad d. l. qui liberos. p. 415. & p. 424.* & rurſus *epiſtol. qu. c.* 21. Concenatius *lib. 2. qu. c.* 4. Mod. 31 Hæc eſt 18. deciſio ex quinquaginta novis Juſtinianeis. vid. Inglois *deciſ.* 18. Anſ. 32 Aliam diſtinctionem vide in *Novell. Leon.* 21. 33 Pater dotans filium, vel donans propter nuptias,

nem